

STVS ἐκδοτῶ, TRADITVS, non est vna omnium & eadem sententia, siue horum intelligas vocabulorum interpretationem, siue eorundem respicias distinctionem, & nunc ad Christum ipsum, nunc ad Judæos, autorem vitæ enecantes, relationem. Sunt, qui existiment, per ὠρισμένην βελήν τῆ Θεῶ, intelligi commode posse diuinam voluntatem, in verbo Dei reuelatam, quippe in quo verbo dicatur nobis annuntiata πᾶσα βελή τῆ Θεῶ, Act. XX, 27. Atque ita, quando *Christus* vocatur ἐκδοτῶ τῆ ὠρισμένη βελή τῆ Θεῶ, sensus hic esset, *Christum esse traditum ad mortem crucis*, sicuti illud ante erat per Mosen & Prophetas prædictum, & in verbo Dei scripto definitum, quo modo τὸ προορίζειν idem videri poterat, ac προγράφειν, interprete HILARIO *Comment. in Psalm. II*, & τὸ ὠρισμένον idem ac τὸ γεγραμμένον, apud GERHARDVM, *Harmon. Euangelist. Cap. CLXXII*, p. m. 1137. Colligunt illud nonnulli, ex collato Matth. XXVI, 24, cum Luc. XXII, 22, quoniam in posteriori loco ὁ υἱὸς τῆ ἀνθρώπου dicitur πορεύεσθαι κατὰ τὸ ὠρισμένον, in priori autem loco, idem ὁ υἱὸς τῆ ἀνθρώπου dicitur ὑπάγειν καθὼς γέγραπται περὶ αὐτῶ. Videtur præterea huc pertinere, quod negari non possit, Spiritum Christi fuisse in Prophetis προμαρτυρούμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα. I. Pet. I, 11. Quamobrem Christus quoque ipse, in concionibus suis de passione & morte propria, discipulos suos & nos omnes creberrime remittit ad scripta Prophetarum, Matth. XXVI, 31, 54, Marc. IX, 12, Luc. XVIII, 30, XXI, 37, XXIV, 27, 44, 46. Vid. de illis imprimis, Psalm. XL, 8, Act. X, 43, & XXVI, 22. Etsi vero hæc explicatio, quod attinet ad rem ipsam, nihil videtur afferre incommodi, præsertim cum constet, ex locis antea in medium adductis, æternum Dei decretum de passione & morte Christi, quod hic per ὠρισμένην βελήν τῆ Θεῶ significatur, esse etiam a Mose & Prophetis in verbo Dei V. T. satis definitum seu descriptum, nobisque & explicatum & confirmatum, non videtur tamen illa interpretatio satis congruere cum phrasi ipsa, seu modo loquendi, qui hic occurrit. Conjungitur enim ὠρισμένη βελή τῆ Θεῶ cum προγνώσει τῆ Θεῶ. Quemadmodum igitur hæc πρόγνωσις æternitatis significationem habet, ita etiam ἡ ὠρισμένη βελή, hoc loco, sic exponenda erit, vt similiter eiusdem inuoluat æternitatis relationem,